

*ctu illud, quod antea virtute, seu potentia cognoscet, novam cognitionem adipiscitur. Atqui mens ope syllogismi sibi comparat actu illam cognitionem, cuius adquirendae virtute dumtaxat pollebat. Ergo syllogismus ad veri cognitionem valde utilis est.*

67. *Probatur minor.* Mens, cum praemissas in se cognoscit, conclusionem, quae in illis potentia continetur, potentia, non actu cognoscit, quia satis non est aliquid altero contineri, ut mens unum videat, videat et alterum; sed necesse est, ut aliud alio contineri perspiciat. Atqui mens non nisi ope syllogismi conclusionem praemissis contineri actu cognoscit. Ergo mens ope syllogismi progreditur ad agnoscendum actu illud, quod antea potentia dumtaxat cognoscet.

68. Ut haec clariora fiant, memoria revocandum est cognitionem, quam per syllogismum nobis comparamus, non esse *intuitivam*, per quam *aliquid in alio cognoscitur*, sed esse *deductivam*, per quam *aliquid ex alio cognoscitur*<sup>4</sup>; unde conclusio ex praemissis elici<sup>2</sup> dicitur. Atqui ratio non potest conclusionem ex praemissis elicere, nisi duas exerat actiones, quarum una veritate praemissarum, altera veritatem conclusionis cognoscit<sup>3</sup>. Ergo nos ratiocinando conclusionem cognoscimus non eodem actu, ac praemissas, sed novo actu, qui illi succedit; unde, primum investigamus, utrum extrema cum medio convenient, deinde ex hac investigatione relationem ipsorum extre- morum cognoscimus.

## CAPVT V.

### De criterio memoriae

#### ART. I. Veracitas huius criterii ostenditur

69. Etsi memoria, uti diximus<sup>4</sup>, nihil novi nos doceat, tamen ipsa cognitiones ante adeptas revocat, ac proinde conditio est, sine qua scientia humana constare non potest. Iam praeteritas cognitiones, quas memoria, cum recte adhibetur, nobis sugge-

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 15 c.

<sup>2</sup> Cf s. Bonav., *In lib. III Sent.*, *Dist. XVIII*, a. 1, q. 3 ad arg.

<sup>3</sup> « Tunc dicitur, subdit s. Thomas, aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud »; *Op. cit.*, ibid. — <sup>4</sup> P. 228.

rit, re vera olim in nobis extitisse, sequenti propositione demonstratur:

Prop. *Memoriae veracitas negari non potest, quin simul ipsa memoria animo denegetur.*

*Probatur.* Omnes in his duobus consentiunt: 1° quod memoria posita est in vi recognoscendi perceptiones, quas antea habuimus; 2° quod memoria non aliter nos decipere potest, nisi quatenus ante mentem sistit perceptiones, quas antea non habuit. Atqui horum unum altero destruitur. Ergo oportet memoriam aut tamquam per se veracem habere, aut animo denegare<sup>1</sup>.

70. Praeterea, nos potestate pollermus discernendi perceptiones, quas re ipsa habuimus, ab iis, quae fictitiae sunt; nam quoties conomur aliquid, cuius oblii sumus, recordari, species rerum, quae nobis sese offerunt, respuimus, donec illa, quam quaerimus, nobis occurrit. Atqui potestas, qua reale a fictitio discernitur, est verax. Memoria igitur, quae est huiusmodi potestas, verax est<sup>2</sup>.

#### ART. II. Nonnullae obiectiones diluuntur

71. Obiec. Nihil frequentius auditur, quam memoria nos decipi. Ergo memoria non est criterium veri.

72. Resp., *Dist. ant.*, eo quod saepe obliviscimur eorum, quae antea cognovimus, *conc. ant.*, eo quod revera non habuimus cognitiones, quas memoria perspicue revocat, *neg. ant.*; *neg. cons.* Si res diligenter expendatur, facile perspicietur homines huius rei potissimum conqueri, quod non nisi pauca eorum, quae dicerunt, in memoriam revocare possunt, non quod perceptio- nes novas pro praeteritis accipiunt. Iamvero illud non ex memoriae vitio, sed ex limitibus ipsius oritur, qui in causa sunt, cur non recordemur omnium, quae didicimus.

73. Inst. Atqui re ipsa homines quandoque putant figmenta sua phantasiae esse imagines factorum, quae olim percepserunt. Ergo.

74. Resp., *Dist. ant.*; hoc evenit penes homines haud sui compotes, *conc. ant.*, apud homines sui compotes, *neg. ant.* Revera, quemadmodum Aristoteles iam animadvertisit, illud, quod nobis

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XI, c. 8, n. 13.

<sup>2</sup> Cf s. Aug., *Conf.*, lib. X, c. 19, n. 28.

adversarii obiciunt, in iis quandoque occurrit, qui *ex lasim*, id est, ut explicat s. Thomas, *alienationem mentis pati solent*<sup>1</sup>. « Phantasmata enim, interprete eodem sancto Doctore, quae eis de novo occurunt, existimantur, ac si essent aliquorum prius factorum, ac si memorentur illa, quae numquam viderunt, aut audiverunt<sup>2</sup>. Iam patet vim facultatum animae non esse ex iis metiendam, quae insanis, sed quae sanis accident.

## CAPVT VI.

## De auctoritate humani testimonii

75. Quanti momenti sit vim huius criterii statuere, ac vindicare, illud maxime demonstrat, quod, eo sublato, multa nos latenter, quae ad Catholicae Religionis Divinitatem agnoscendam necessaria sunt, siquidem, ut s. Augustinus animadvertisit, Christus ipsam in quibusdam factis publicis fundavit, e. g., in existentia miraculorum, in Martyrum constantia, aliisque, quae certa nobis esse non possunt, nisi ex aliorum auctoritate<sup>3</sup>. Quin immo, aiente eodem sancto Doctore, et multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum<sup>4</sup>.

ART. I. *Quaedam notiones praemittuntur*

76. Cum aliquid nosmet ipsi non cognovimus, sed pro certo habemus ex eo dunitaxat, quod ab aliis narratur, tunc *credere dicimus*. Iam qui aliquid tamquam a se cognitum alteri significat, *testis*, et *actio*, qua rem asserit, *testimonium* dicitur. *Actio* autem, qua testi assentimur, *fides*, et *ratio*, qua illi assentimur, sive *vis*, qua testis pollet, movendi nos ad assensum, *auctoritas* audit. Gignitur autem auctoritas alicuius testis ex eius *scientia*, et *probitate*; nam tum testi fidem adiungimus, cum iure existimatur ipsum et veritatem assecutum esse, et vera loqui. Insuper

<sup>1</sup> In Arist. *De Mem. et Rem.*, lect. III. — <sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> De util. credendi, c. 16 sqq, n. 34 sqq. Hinc factum est, ut nullo non tempore hostes Religionis Christianae vim auctoritatis impugnare pro viribus conati sint.

<sup>4</sup> Op. cit., c. 12, n. 26, et 28. Cf. *De Ord.*, lib. II, c. 9, n. 26.

auctoritas aut Divina, aut humana est, eaque cum circa dogmata, tum circa facta versari potest.

77. De auctoritate Divina impium est disputare, quia cum Deus sit ex essentia sua verax, immo ipsa Veritas, Eum vel decipi, vel decipere quemquam repugnat quam maxime; unde quaecumque Deus revelat, certitudine absolute metaphysica gaudent<sup>1</sup>. De auctoritate autem humana, quae complectitur dogmata, alibi sermo nobis occurret. Quamobrem de auctoritate humana, prout circa facta versatur, hic dumtaxat disserendum nobis est.

78. Iam testes, qui factum narrant, vel *oculati*, vel *aurili* sunt, prout illud vel oculis suis usurparunt, vel ab aliis acceperunt. Rursus, si factum, quod narrant, accidit eo tempore, quo ipsi vivebant, *aequales*, sive *coaevi*; sin factum evenit multos ante annos, *recentes* audiunt. Media autem, per quae testimonium hominum ad posteros transmittitur, sunt *Traditio*, et *Historia*. *Traditio* est facti narratio, quae per non interruptam seriem testium usque ad nos ore transmissa est; atque *historia* est narratio factorum, quae scriptis continetur. Hisce duobus instrumentis addi potest aliud, nempe *Monumenta*, quae sunt quadam signa publica destinata ad alicuius illustris facti memoriam perpetuandam.

ART. II. *De humano testimonio spectato in seipso*

79. Ut ordinem in hac controversia adhibeamus, sequentes statuimus propositiones:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Plurimi testes, qui concorditer narrant aliquod factum simplex, publicum, et illustre, fidem prorsus merentur.*

Probatur contra Lockium<sup>2</sup>, Genuensem<sup>3</sup>, La-Placeum<sup>4</sup>, aliosque, qui autumant ex testimonio humano maiorem, vel minorē probabilitatem progigni, numquam vero certitudinem. Ad fidem cuidam testimonio conciliandam duo expostulantur, nempe ut testes neque decipientur, neque mentiantur. Atqui plurimi testes circa factum quoddam simplex, publicum, et illustre

<sup>1</sup> Idem de auctoritate Catholicae Ecclesiae dicendum est. Deus enim ipsam constituit suae revelationis custodem, magistrum, et vindicem, iugiterque ei assistit; quapropter si erraret, vel deciperet in his, quae ad fidem, moresque pertinent, ipse Deus falli, aut fallere dicendus esset.

<sup>2</sup> Op. cit., lib. IV, c. 15, § 4. — <sup>3</sup> Artis logico-erit., lib. IV, c. 2.

<sup>4</sup> Essais phil, sur les probabilités, ed. 3, p. 129, Paris 1816.

decipi nequeunt, decipere autem alios nec volunt, nec possunt. Ergo plurimi testes, cum factum simplex, publicum, et magni momenti narrant, omnem fidem merentur.

80. Prima *minoris* pars ita demonstratur. Plurimi circa idem factum sensile deciperentur, si eodem organorum sensoriorum vitio laborarent, vel eundem defectum attentionis paterentur. Atqui neutrum evenire potest. Non primum; nam defectus naturales sunt *per accidens*, idest *praeter intentionem naturae*; id autem, quod est *per accidens*, in plurimis evenire non potest<sup>1</sup>. Non alterum; si enim factum est simplex, sive minutorum adjunctorum expers, valde intento animo opus non est ad illud perspicendum; sin grave, et illustre, nihil certe est, cur suspicemur plurimos testes nullam adhibuisse attentionem ad ipsum observandum.

81. Altera pars evincitur tum ex parte testium, tum ex parte eorum, qui factum audiunt. Ex parte quidem testium. Namque homines natura ita comparati sunt, ut veritatem diligent: quo-circa, nisi a perturbatis animi motibus abripiantur, ad mendacium adduci minime patiuntur. Atqui fieri neguit, ut plurimi homines eisdem effraenibus cupiditatibus mancipentur, ideoque in idem mendacium conspirent; cupiditates enim multae, et diversae sunt, utpote quae a diversa indole, diversisque moribus oriuntur, ac proinde discordes homines faciunt, solaque veritas, quae eadem necessario est, eos ad consensionem adducere potest. Ex parte autem eorum, qui factum audiunt. Nam, cum factum sit magni momenti, homines non adhibent illi fidem, nisi ipsum attente expendant; et quoties factum est publicum, fraus, si qua sit, facile deprehendi potest; quapropter testes mentiri non potuisse pro certo habendum est; nemo enim adeo insanus est, ut, cum praevideat mendacium detectum iri, mentiatur.

82. Neque dicas exceptioni in legibus, quae mores hominum gubernant, ex abusu eorum libertatis locum esse posse. Etenim, etsi huiusmodi exceptio absolute possibilis sit, tamen, cum nullam, ob quam fiat, rationem extare nobis constat, ipsam reipsa factam non esse certi sumus<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 34.

<sup>2</sup> Exinde illud patet, quod ad assequendam certitudinem satis est cognoscere, nihil esse, quod testes ad fallendum inducere valeat; nam, cum

83. Prop. 2<sup>a</sup>. *Unius testimonium, si non semper, haud raro certam cognitionem parit.*

Probatur contra Ab. de Prados<sup>1</sup>, Auctorem *Instit. Lugd.*<sup>2</sup>, aliosque. Et sane, haud raro certi sumus unicum testem deceptum non esse in facti observatione; e. g., cum testis factum narrat, quod in sensu facile incurrit, cuiusque vel sua, vel suorum valde interest. Item haud raro certi sumus unicum testem mentiri noluisse, e. g., cum testis probitate adeo spectata est, ut nullam exhibeat dubitationem, vel cum testis rem narrat coram eis, qui eventui adsuere, et quorum maxime intererat mendacium coarguere. Itaque de scientia, et probitate unius testis haud raro constare nobis potest. Atqui ab huiusmodi qualitatibus testis vis auctoritatis pendet. Ergo unum testem haud raro certitudinem gignere pro certo habendum est<sup>3</sup>.

84. Prop. 3<sup>a</sup>. *Testimonium circa facta supernaturalia certitudinem gignere potest.*

Probatur contra omnes recentes incredulos, et maxime contra Straussum. Ad certo assequendam veritatem testimonii de facto supernaturali oportet, non secus ac de naturali, ut nobis constet testes non esse deceptores, nec deceptos. Atqui haec duo explorata nobis esse possunt. Ergo.

85. Quod spectat ad primam partem *minoris*, ea ipsa momenta, quibus veracitas testium in facti naturalis narratione dignoscitur, etiam evincunt eos, cum factum supernaturale testantur, nec posse, nec velle mentiri.

86. Quoad alteram partem, certi quoque esse possumus testes

homines naturali amore erga verum teneantur, veritatem non deserunt, neque corrumpunt, nisi quidquam sit, quod eos ad fallendum movet. Quod si testes facta narrant, quae receptis vulgi opinionibus obsistunt, pro eorumque veritate contumelias, dedecus, cruciatus, ipsamque mortem liberter perferant, illorum testimonio gravissimum pondus profecto accedit. Hac sane de causa illa facta, quae in Christianae Religionis fundatione congerunt, ea certitudine gaudent, qua nulla maior excogitari potest.

<sup>1</sup> Encyclopéd., art. *Certitude*. — <sup>2</sup> Log., Dissert. II, sect. III.

<sup>3</sup> Ob eamdem rationem de ipsis factis parvi momenti, et non simplicibus saepe certitudo existere potest. Etenim facta huiusmodi non raro testes habent, de quorum scientia, et probitate ne minima quidem suspicio existit; e. g., si adiuncta facti eiusmodi sunt, ut facile observari queant, aut si perspicimus nihil fuisse, quod testes ad ea facta fingenda, aut corrumpenda induxerit.

non esse deceptos. Sane maior difficultas miraculi pertinet ad eius effectiōem, quia in producendis effectibus supernaturali-bus opus est virtute infinita, sed non ad eius cognitionem; nam factum supernaturale non minus est sensibus obvium, quam naturale, cum non postulet acutiorē oculorum aciem, ut videatur, neque exquisitiōrem tactum, ut contrectetur. E. g., ad videndum hominem viventem, postquam a mortuis exuscitatus est, non requiritur acutior visio, quam quae requiritur ad eum videndum vivum, antequam mortuus esset. Immo adnotandum est difficilius homines posse decipi in observatione facti supernaturalis, quam naturalis. Spectatores enim, cum in factum insolens, et mirabile incident, principio de illius veritate dubitare solent; deinceps sedulam ipsius inquisitionem instituant; neque ipsi suum adsensem adhibent, nisi rem ita se indubitanter habere perspexerint.

ART. III. *De Traditione, et de Monumentis*

87. Hactenus testimonium humanum in seipso spectavimus; modo ad expendendā vim instrumentorum, per quae ad posteros transmittitur, progrediamur. Atque in primis, quod attinet ad *Traditionem*, nos vim illius traditionis propugnamus, quae est *constans*, nempe in qua ab ultima linea traditionali ad caput traditionis facilis regressus patet; et *ampla*, hoc est, in qua singulae lineae multos habent testes. Quare statuimus hanc Propositionem:

*Traditio, quae est constans, et ampla, certam factorum notitiam nobis largitur.*

Probatur contra Lockium<sup>1</sup>, Bayleum<sup>2</sup>, Pouillyum<sup>3</sup>, aliosque eius socios in Gallica Academia *Inscriptionum*<sup>4</sup>. Traditio, quae constantia, et amplitudine exornatur, plurimorum, qui aetate, moribus, ingenio etc., discrepant, concordi testimonio fulcitur; quoties enim traditio hisce dotibus gaudet, compertum est nullam lineam traditioni refragari, sed hanc ab omnibus quavis aeta-

<sup>1</sup> *Essai etc.*, lib. VI, c. 16. — <sup>2</sup> *Dict. hist. crit.*, passim,

<sup>3</sup> *Discours sur l' incertitude de l' histoire*, 16 Déc. 1722, inter *Mémoires de littérature*, t. VI.

<sup>4</sup> Horum sententiām Beaufort tuitus est integro opere, cui hanc adlevit epigraphen: *Sur l' incertitude des cinqs premiers siècles de l' histoire romaine*, La Haye 1738.

te acceptam esse. Atqui de huiusmodi testimonio, ut paulo ante ostendimus, dubitare nullo modo nobis licet. Ergo traditiones ampliae, et constantes pro certis omnino habendae sunt.

88. Neque dicas facta, cum per vulgi ora transeunt, corrumpi. Etenim haec corruptio evenire potest circa quedam levia adjuncta, numquam tamen circa summam, et potiora adjuncta factorum, praecipue si haec magni momenti sint; cum enim corruptio contingere non posset, nisi ex testium conventione, dicendum foret homines duarum saltem generationum<sup>1</sup> in facto corrumpendo concordasse; quod, ut vidimus, constantiae ordinis moralis repugnat. Diversitas autem adjuctorum non solum non evertit, sed magis, magisque confirmat veritatem facti; certissima enim veritate nititur substantia facti, quam homines diversarum generationum, locorum, et morum eamdem, licet diversis adjunctis exornatam, testantur. Ceterum, si ipsa substantia facti corrumperetur, tunc factum re ipsa destrueretur; unde traditio ad facti ipsius originem non ascenderet, hoc est, non esset constans, neque idcirco ex iis, quae fidem merentur.

89. Quod ad *monumenta* spectat, praemonendum est nos non in aliis monumentis vim probandi facta agnoscere, quam in iis, quae sunt ipsis factis coaeva, et a cuncto populo ad aliquod solenne, et publicum factum posteritatē commendandum eriguntur. Hoc sensu accipienda est sequens Propositio:

*Monumenta certam notitiam factorum vel remotissimae antiquitatis nobis comparant.*

Probatur. Monumenta testantur factum quoddam eo tempore, quo illa erecta sunt, ab omnibus pro vero habitum fuisse. Atqui dubitandum non est, ut ostendimus, de factis, quae omnes coaevi pro certis habent. Ergo ex monumentis certa cognitio factorum obtineri potest. Et sane, nemini sui compoti in mentem venire potest incolas cuiusdam civitatis in eo conspirare potuisse, ut publico documento factum commendarent, cuius falsitas omnibus patesceret, aut, si pauci id aggressi essent, ceteros de illius falsitate siluisse.

<sup>1</sup> Diximus duarum saltem generationum, quia generationes, ac proinde lineae traditionis non eodem temporis momento evanescunt, sed sensim sine sensu sibi succedunt, nam senes, viri, iuvenes, pueri eodem tempore vivunt.

ART. IV. *De Historia*

90. Si traditione, et monumentis veritas antiquissimorum factorum, sarta tecta usque ad nos transmitti potest, id potiori iure de historia tenendum est.

Prop. *Historia, tum velus, tum recens, certam praeteritorum factorum notitiam nobis praebet, dummodo in ea critices regulae serventur.*

*Probatur 1<sup>a</sup> pars.* Vetus historia civitatum tabularis, caeterisque publicis actis, vel aliis id genus instrumentis innititur. Ergo eam saltem fidem meretur, quam hisce instrumentis inesse demonstravimus; immo, ni fallimur, maiorem, quam in traditione, et monumentis, propterea quod difficilius est corrumperem scripturam, quam traditionem, difficiliusque est monimenta interpretari, quam scripturam intelligere.

*Probatur 2<sup>a</sup> pars.* Scriptor historiae recentis, nempe factorum, quae sua aetate evenerunt, ea narrat, quae quamplurimi vel oculis suis hauserunt, vel ab aliis excepérunt, quaeque idcirco plurimos testes aut oculatos, aut auritos habent; quapropter ipsum mendacem suspicari non possumus, nisi sumamus aut eum mentiri voluisse his in rebus, in quibus aequales eum mendacii facilime redarguere poterant, aut aequales mendacia illius excepisse, quin ne unus quidem contra ea reclamaret; atque ideo una cum historico totam suam aetatem ad fraudem perpetuandam conspirasse. Atqui neutrum horum, quemadmodum ex iam dictis patet, sumi potest. Ergo historia recens nostram meretur fidem.

92. Ex his perspicitur narrationem unius historici testimoniis multorum aequivalere. E. g., cum Iosue scribit se, suamque gentem vidiisse solem in diurna revolutione stantem ferme per integrum diem, atque universa natio Hebraeorum non solum hoc factum non reliquit, sed tamquam verum servat, posterisque mandat; profecto huius eventus veritas testimonio non unius Iosue, sed universae nationis fulcitur <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Idem dictum puta de testimoniis Moysis, atque Apostolorum, necnon omnium historicorum, qui eventus omnibus notos litteris consignarunt. Hinc imprudenter Genuensis (*Op. cit.*, loc. cit., § 13) narrationi unius, aut etiam duorum historicorum vim certitudinis denegavit.

93. Ad refellendas autem Bayllie <sup>1</sup>, aliorumque obiectiones diximus in enunciatione, *dummodo critices regulae serventur*. Etenim nos ii non sumus, qui pugnemus aequa digna esse fide cuncta facta, quae ab historicis narrantur; sed in illis legendis vera a falsis, certaque ab incertis secernenda esse asserimus. Iam has regulas extare ipsi adversarii fateantur oportet. Et sane, ipsi obiciunt aliquos evenētus, qui pro veris diu habitū sunt, temporis progressu, falsos detectos fuisse. Ergo si quorundam factorum falsitas detecta tandem fuit, oportet regulas esse, quarum ope verae narrationes a falsis secerni queunt, ac proinde licet nobis, illis servatis, factorum praeteritorum certam notitiam assequi. E. g., certam facit fidem historicus, si constet neminem eorum, inter quos scribebat, contradixisse, cum ipsorum interfuisset, ne falsitas posteris traduceretur; si etiam post vulgatam historiam integritate, morumque sanctimonia a coaevis, et a posteris probatus fuerit; si legitima traditio veritatem narrationis testetur; maxime autem, si ea referat, quae parti suea adversa sunt, vel praeiudicatis opinionibus obsistunt, vel non gloriam, aut divitias, sed potius dedecus, paupertatem, persecutionem, immo ipsam mortem illi afferunt <sup>2</sup>.

## CAPVT VII.

Quaedam quaestiones circa veritatem  
et certitudinem dissolvuntur

ART. I. *Utrum veritas logica sit propria iudicii,  
an perceptioni etiam conveniat*

94. Ex dictis satis perspicitur iudicium esse verum, cum intellectus aliquid cum alio coniungit, quod ipsi revera inest, et aliquid ab alio separat, quod ipsi revera non inest; esse autem falsum, cum intellectus aliquid cum alio, cui revera non inest, coniungit, et aliquid ab alio, cui revera inest, separat.

95. Iam inter philosophos disputatur, utrum veritas logica tantum in iudicio, an etiam in simplici apprehensione inveniatur. Nobis, secundum s. Thomam, haec statuenda videntur:

<sup>1</sup> Lex. hist. crit., passim.

<sup>2</sup> Haec omnia in historicis hebraicæ, et christianæ Religionis cumulatissime inveniuntur.

1° Veritas logica proprie et perfecte ad iudicium solummodo pertinet. Etenim intellectus tum proprie et perfecte veritatem assequitur, cum verum, prout est verum, cognoscit, nempe cum cognoscit obiectum ita esse in se, prout ab eo concipitur. Atqui intellectus non potest cognoscere obiectum reipsa esse in se, uti ab eo concipitur, nisi dicat esse quod est, nempe affirmet realiter inesse rei id quod ipse in illa apprehendit. Ergo veritas logica sine affirmatione intellectus existere nequit. Iam quoniam in affirmatione iudicium continetur, veritatem logicam proprie, et perfecte in iudicio solummodo inveniri concludendum est<sup>1</sup>.

2° Veritas logica etiam in simplici apprehensione quodammodo invenitur, hoc est, ita ut intellectus per hanc operationem aliquod verum apprehendat, nec tamen, prout est verum, cognoscat. Et sane, simplices apprehensiones intellectus essentias rerum, prout in rebus sunt, repraesentant. Atqui, si essentias rerum, prout in rebus sunt, repraesentant, consenaneae rebus apprehensionis esse debent. Ergo in simplici apprehensione veritas logica etiam invenitur. At, quoniam intellectus convenientiam sui cum rebus per simplicem apprehensionem non cognoscit, veritas logica proprie et perfecte ad illam pertinere nequit<sup>2</sup>.

3° Si quodammodo veritas logica in simplici apprehensione invenitur, in ea falsitas *per se* numquam esse potest, siquidem simplices conceptus intellectus ex eo, quod essentias rerum, prout in se sunt, repraesentant, omnes veri sunt, non autem, ut multis Wolfianis visum est, vel veri, vel falsi. Sane, « quidditas rei est proprie obiectum intellectus<sup>3</sup>: nulla autem facultas cognitrix, uti antea vidimus<sup>4</sup>, circa obiectum sibi proprium decipi-

<sup>1</sup> I, q. XVI, a. 2 c.

<sup>2</sup> Qq. disp., *De Ver.*, q. I, aa. 3, et 12 c.

<sup>3</sup> Qq. disp., *ibid.*, a. 12 c. Ob eamdem rationem intellectus « nec in primis principiis ullo modo decipitur » (*ibid.*). « Intellectus semper est rectus, secundum quod intellectus est principiorum, circa quae non decipitur ex eadem causa, qua non decipitur circa quod quid est. Nam principia per se nota sunt illa, quae statim, intellectis terminis, cognoscuntur, ex eo quod praedicatum ponitur in diffinitione subiecti » (I, q. XVII, a. 3 ad 2; cf p. 242). Quare, « secundae operationi admiscetur falsitas etiam per se; non quidem quantum ad primas affirmationes, quas naturaliter intellectus cognoscit, ut sunt dignitates, sed quantum ad consequentes, quia rationem iudicando contingit errare per applicationem unius ad aliud »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 ad 7. — <sup>4</sup> P. 240.

potest. Diximus *per se*; nam falsitas *per accidens* in prima operatione intellectus inveniri potest, « scilicet ratione affirmatio-nis, vel negationis annexae », e. g. cum intellectus « definitio-nem unius attribuit alteri, ut si animal rationale mortale conci-peret quasi definitionem asini ; vel in quantum coniungit partes definitionis ad invicem, quae coniungi non possunt, ut si conce-pret quasi definitionem asini animal irrationalis immortale; haec enim est falsa, aliquid animal irrationalis est immortale<sup>1</sup>. Ast, si primum, intellectus asinum pro homine, respectu cuius ille conceptus verus est, apprehenderet: sin alterum, nihil intelli-geret. Hinc idem sanctus Doctor: « In operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur. Quod potest esse dupli-citer. Uno modo, secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri, ut si definitionem circuli attribuat homini: unde definitio unius rei est falsa de altera. Alio modo secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quae simul so-ciari non possunt; sic enim definitio non solum est falsa respec-tu alicuius rei, sed est falsa in se, ut si formet talem definitio-nem, animal rationale quadrupes, falsus est intellectus sic de-finiendo, propterea quod falsus est in formando hanc composi-tionem, aliquid animal rationale est quadrupes. Et propter hoc in cognoscendo quidditates simplices non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit<sup>2</sup> ».

#### ART. II. *Utrum veritas sit mutationis, et progressus capax*

96. Recentes propugnatores progressus, seu perfectibilitatis generis humani, inter quos Lerménier, Lamennais, Jouffroy, Sansimoniani, aliquique quamplurimi recensentur, veritatem num-quam immotam, et fixam existere, sed pro qualibet aetate va-riare, et perfici arbitrati sunt. Hanc abnormem sententiam refellimus sequenti Propositione:

*Veritas, quae est obiectum intellectus humani, capax mutatio-nis, et progressus esse nequit*<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Qq. disp., loc. cit. — <sup>2</sup> I, q. XVII, a. 3 c.

<sup>3</sup> Hic loquimur de ipsa veritate, non autem de intellectu, qui veritatem cognoscit; intellectus enim potest mutari, et progredi, quia ex errore ad veritatis cognitionem, vel ex leviori ad penitorem eius cognitionem gra-dum facit.

*Probatur.* Veritas nostrarum cognitionum posita est in earum convenientia cum rebus, quas repraesentant<sup>1</sup>, ac proinde in ipsa realitate rerum fundamentum habet. Atqui realitas, sive essentia rerum, cum in exemplaribus Divini Intellectus fundamentum habeat, immutabilis est, quemadmodum immutabilis est Divinus Intellectus. Ergo veritas, quae est obiectum intellectus, seu illud, quod veritatis cognitionem constituit, mutationis, et progressus capax non est<sup>2</sup>.

97. *Obiic.* 1° Quod in aliqua re existit, ab ea re necessario pendet. Atqui veritas, quae a nobis cognoscitur, est in nostro intellectu. Ergo veritas, quae a nobis cognoscitur, pendet ab aestimatione nostri intellectus, ac proinde mutationis, et progressus capax est.

98. *Resp.*, *Dist. min.*; si oritur ex principiis rei, in qua est, *conc. min.*; secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Huius difficultati iam obviam iverat s. Thomas hisce verbis: « Illud, quod est in aliquo, non sequitur illud, in quo est, nisi quando causetur ex principiis eius: unde lux, quae causatur in aere ab extrinseco, scilicet ex sole, sequitur motum solis magis quam aerem; similiter veritas, quae in anima causatur a rebus, non sequitur existimationem animae, sed existentiam rerum; ex eo enim quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur<sup>3</sup> ».

99. *Obiic.* 2° Veritas logica sita est in adaequatione intellectus cum rebus. Atqui experientia quotidiana constat res continuo mutari. Ergo veritas logica continuo mutatur.

100. *Resp.*, *Dist. min.*; si per res intelligas qualitates singulares rerum, *conc. min.*; si naturas rerum singularium, et leges, quibus continentur, *neg. min.* Etsi res singulares sint assidue mutationibus obnoxiae, tamen earum *rationes*, ut s. Thomae verbis utamur, sunt *immobiles* et *necessariae*, quippe quae ab immutabili Intellectu Divino originem habent; proindeque scientiae, cum non circa qualitates singulares, sed circa *immobiles rationes* versentur, sunt etiam immutabiles<sup>4</sup>. Quoniam pacto au-

<sup>1</sup> Cf p. 225.

<sup>2</sup> De hac controversia cons. Opus nostrum, *I principali sistemi della Filosofia . . . sul Criterio etc.*, c. II, § I-IV, p. 150 sqq, Napoli 1858.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 2 ad 3.

<sup>4</sup> In lib. IV *Ethic.*, lect. III; I, q. LXXXIV, a. 1 ad 3.

tem necessitas ac immutabilitas naturis, et legibus rerum convenient, alias explicabimus.

ART. III. *Utrum certitudo diversos gradus admittat*

101. Certitudo, quam per criteria veri nobis comparamus, ut iam alibi dictum est<sup>1</sup>, in *metaphysicam*, *physicam*, et *moram* distinguitur. Ex notionibus, quas tradidimus, harum diversarum certitudinis specierum, patet certitudinem metaphysicam ad veritates necessarias spectare, physicam ad veritates contingentes, moralem ad ea, quae ex aliorum auctoritate addiscimus.

102. Disputatur autem a Philosophis, utrum his generibus certitudinis aequale pondus insit, an una certitudo sit altera praestantior. Ut haec quaestio facile solvatur, animo reputandum est certitudinem duo complecti, nempe omnimodam dubii exclusionem, et momenta, ex quibus perfectio actus adhaerentis alicui rei exurgit. Si primum consideretur, omnia genera certitudinis in eo convenient, quod omnem formidinem erroris ab animo expellunt. Hanc ob rationem certitudo in puncto quodam indivisibili posita esse dicitur, propterea quod si mens in dubitationem vel minimam incidit, illico certitudinem amittit, neque certitudinem iterum adipiscitur, nisi illam vel minimam dubitationem expellat. Sin alterum, genera certitudinum non aequalis ponderis sunt; siquidem non aequale inest pondus momentis, ex quibus ea enascuntur, ac proinde, pro diversitate huiusmodi momentorum, alterum genus certitudinis altero praestantius esse debet<sup>2</sup>. In universum autem certitudo metaphysica, ut quisquis ex se intelligit, physicae, et morali, et physica moralis antecellit<sup>3</sup>.

103. Quod si cum his generibus certitudinis certitudo, quae ex Fide Divina efficitur, comparetur, haec certitudine naturali, quaecumque sit, longe superior existimanda est<sup>4</sup>. Etenim, quam-

<sup>1</sup> Cf p. 226.

<sup>2</sup> In lib. III *Sent.*, *Dist. XXIII*, q. II, a. 2 sol. 3. Cf etiam *Qq. dispp.*, *De Virtut.*, q. II, a. 9 ad 1.

<sup>3</sup> Certitudinem moralem interdum vi certitudinis metaphysicae gaudere, Gerdl (*Saggio d'istr. teolog.*, *Della storia umana*) aliisque non immerito docuerunt, quia cum homines ingenio, opinionibus, moribus dissidentes nequeant in idem mendacium conspirare, illorum consensio esset effectus sine causa, quod metaphysice impossibile est. — <sup>4</sup> Cf p. 249.

vis, ut iam diximus<sup>4</sup>, evidenter, quae in scientia obtinetur, de-  
sit in iis, quae ex Fide accipimus, tamen Fides Divina est longe  
certior quamcumque naturali cognitione, nempe firmius iis ad-  
haeremus, quae ex Divina Auctoritate excipimus, quam iis, quae  
ipsi ex nobis cognoscimus, quia Divinam Auctoritatem, qua ad  
credendum movemur, vi, et ponderi cuiuslibet naturalis crite-  
rii antecellere nobis certum est<sup>2</sup>.

ART. IV. *Utrum veritates rationales decretis Fidei adversari possint*

104. Pompanatius Mantuanus docuit rationem, tametsi recte  
adhibetur, ea decreta quandoque fundere, quae decretis Fidei  
Christianae adversantur<sup>3</sup>. Ad hunc errorem explodendum sta-  
tuimus hanc Propositionem:

*Numquam fieri potest, ut ratio recte adhibita decretis Fidei  
adversetur.*

*Probatur.* Ea, quae ratio recte adhibita docet, adeo vera sunt,  
« ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id, quod Fide  
tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est  
credere esse falsum<sup>4</sup> ». Itaque tum decreta rationis recte adhi-  
bitae, tum decreta Fidei vera sunt. Atqui « solum falsum vero  
contrarium est, ut ex eorum definitionibus manifeste appareat<sup>5</sup> ». Ergo impossibile est decreta rationis decretis Fidei adversari.

105. Praeterea unicus est auctor rationis, et Fidei, nempe Deus.  
Ergo si ratio recte adhibita ea decernat, quae Fidei adversantur,  
Deus nos ea docere, quae secum pugnant, dicendus erit; id quod  
impossibile esse omnibus compertum est<sup>6</sup>. Denique tantum ab-  
est, ut ratio, et Fides adversis committantur cornibus, ut rectus,  
et sobrius usus rationis ad Fidei dogmata illustranda, et tuenda  
maltum utilitatis conferat; philosophia enim, ut iam in *Intro-  
ductione* diximus, multis famulatus officiis erga Theologiam  
fungitur.

<sup>1</sup> Log., p. II, c. III, art. 4, p. 67. — <sup>2</sup> Cf s. Thom. loc. cit.

<sup>3</sup> De immortalitate animae, Bononiae 1516.

<sup>4</sup> Cf s. Thom., Contr. Gent., lib. I, c. 7, n. 1. — <sup>5</sup> Ibid.

<sup>6</sup> Ibid., n. 2. Inde sanctus Doctor infert « probations, quae contra Fi-  
dem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta » (i-  
bid. n. 4); hoc est, argumenta, quae sub veri specie falsum concludunt,  
et quae proinde refelli possunt. Vid. Const. Dogm. De Fide Catholica, e-  
dit. in Sess. III Conc. Vaticani, c. IV.

CAPVT VIII.

De Scepticismo

Postquam singulis instrumentis, quibus certam veritatem no-  
tificam assequi possumus, vim, auctoritatemque suam vindica-  
vimus, propositi nostri ratio expostulat, ut in praesentia scepti-  
cismus in universum spectemus, diligentique examini subii-  
ciamus.

ART. I. *Brevis Scepticismi historia describitur*

106. Postquam Socrates Sophistas<sup>1</sup> profligavit, philosophia  
copiosius, perfectiusque tractari coepit, et ad beatitatis adeptio-  
nem semper spectavit. At quoniam Socrates potius philosophandi  
methodum, et finem, quam aliquam philosophiam tradidit,  
factum est, ut Philosophi, qui ei successerunt, e.g., Plato, Ari-  
stoteles, Epicurus, dum Socratem ducem sequi gloriabantur, in  
multas, secumque pugnantes opiniones distraherentur. Iam Pyr-  
rhoni visum fuit haec opinionum dissidia cum consecutione beat-  
itatis humanae, quam Socrates finem philosophiae esse pree-  
dicaverat, non posse componi. Quare ipse putavit hominem, si  
felix esse velit, ita se gerere debere, ut res consideret ex ea  
parte dumtaxat, qualenus ab ipsis afficitur, sed nihil de illarum  
naturis definit; itemque nihil de boni, et mali notionibus de-  
cernat, sed vel ex naturae impulsu, vel ex legum praescriptio-  
nibus vitam moderetur; quod ut evinceret, decem modos defi-  
nivit, ex quibus de rebus assensionem retinendam esse collige-  
bat. Hi modi dicti sunt τροποι τῆς ἐποχῆς, modi retentionis assen-  
sus, atque huc redeunt, nos non posse cognoscere res, quales  
sunt in seipsis, sed quales ad nos referuntur. Quapropter omnes,  
qui Pyrrhonem secuti sunt, statuerunt nos cognoscere solas ap-  
parentias rerum, sed ignorare rerum naturam, nihilque de his  
definire posse, quia pares, et contrariae rationes utrinque circa  
illas occurront.

107. Exinde patet principium scepticae disciplinae fuisse anti-  
logiam, sive pugnam rationum; finem, alaraxiam, sive imper-  
turbatum statum animi; medium, quo ad alaraxiam pervenitur,  
epochen, seu retentionem assensu.

<sup>1</sup> Cf Log., part. II, c. I, art. 1, p. 49.